dicitur lignis. Illum ergo diem deduximus laborando in compo- 033
sitione habitaculorum nostrorum et notitiam familiae accepimus et
domum lustravimus, demtis habitaculis uxorum Tanguardini. Sic 031
autem locati fuimus, quod domini peregrini primae societatis ad
unum ignem coquebant et domini mediae societatis et tertiae so- 037
cietatis simul communem coquinam habebant et quaelibet societas 027
singulariter pro se provisionem faciebat. Noctem inquietam ha- 042
buimus propter strepitum et insanas vigilias paganorum propter
jejunium suum diurnum, nec solum illam noctem, sed singulas 022
noctes illius mensis inquietas et quasi insomnes duximus. 082

Nona die, quae est Dionysii et sociorum ejus martyrum cum
mane illuxisset et cuncta familia domus dormiret, nos surreximus
et in habitationem dominorum secundae societatis ascendimus, quia 132
in alto erat, ibique in eorum camera altare ereximus et missas
cottidie celebravimus ibi. In die autem illa, cum disponeremus
altare, invenimus nos defectum panis sacrificii, quem de Jerusalem
nobiscum tuleramus, habere, nec amplius erat hostia in scrinio 532
et accersito ad nos Tanguardino quaesivimus, an aliqui sacerdotes
latini essent in urbe, et comperto, quod sic, diximus sibi defec-
tum nostrum et statim directo nuntio ad quendam sacerdotem
latinum de Venetiis panes sacrificii apud eum invenimus; nam
sacerdos ille noviter venerat de Alexandria cum domino consule
Alexandrino, magno Venetiano, cui missas celebrabat. Alias enim
nullus latinus sacerdos, nec aliqua ecclesia latina, heu, in tanta
urbe est, et si ille casu non affuisset, omnibus his diebus sine
missae officio mansissemus. Igitur omnibus dispositis ad celebran- Ende
dum requisitis cum convenissent filii Dei, ut assisterent coram
Domino, affuit inter eos et Satan, Job. 1. Nam officio inchoato Anfang
et peregrinis devotius inclinatis, ecce, advenit Satan; uxores enim
Tanguardini, meretricio cultu ornatae more dominarum nobilium,
cum mirabili alto capitis ornamento, auro et gemmis circumdatae,
ad nos intravere, volentes interesse officio nostro, locantes se in
partem ad manendum. Nos vero territi trepidavimus et submur-
muravimus, nescientes, quid esset faciendum. Sed et sacerdos
in altari stans substitit et eis praesentibus legere cessavit, non
fuimus autem ausi eas ejicere, timentes indignationem domini.
Caetera etiam familia promiscui sexus cum eis adscenderat et ante
ostium camerae stabat. Cumque sic suspensi staremus, et dominae

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;